

/ Legi literas tuas, vir clarissime, et moleste fero, quod non queam plene satisfacere justis desideriis tuis; sed facultas mihi deest, non voluntas. Joannes Crollius ~~h~~junior ad te revertitur, satis instructus in ea doctrina, cujus capax erat. Pecuniam pro sumptibus ad iter faciendum, magna ex parte collegium Germanicum praeter morem contulit; reliquam partem aliunde quaesivimus, neque ego loculis meis, quantumvis tenuibus peperci. De restituenda donatione Canonici Bonnensis, egi cum Praeposito generali Societatis Jesu, qui pollicitus est se diligenter investigaturum, utrum applicatio illius legati facta Patribus Jesuitis jure subsistat; et si forte non subsistat, se operam daturum, ut haeredibus omnino restituatur.

15 Quod Serenissimus Archidux Leopoldus administrator imperii factus sit, nondum constat; ideo non est visum aliquid apud eum movere, praesertim ob recentem, et gravissimam perturbationem Pragensem. Vale, et in Dominum Deum jacta cogitatum tuum; neque enim necessaria ad vitam istam temporariam denegabit, qui caelestia, et sempiterna promisit. Vera est enim illa sententia ab ore veritatis prolata: Quaerite primum regnum Dei, et justitiam eius, et haec omnia adjicientur vobis.

20 Roma, Archiv. Venerabilis Coll. Anglorum de Urbe. Autogr. (probablement écrite à la suite de la lettre de Jean Crollius)